

Q.K. 379, 8.

II m  
6440

EXEMPLAR

LITERARVM,  
QVAS HENRICVS GAL-  
LORVM REX, DIE XXV.

*Augusti ad Senatum Polono-  
rum scripsit.*

ET

EARVM QVAS PAVLO  
POST EX SENATVSCONSVLTO  
IN GENERALI CONGREGA-

*tione Mens. Sept. Anno 1574. Var-  
saviae facta, Ordines omnes Reip. Po-  
lonorum ipsi Henrico  
Regi miserunt.*



ANNO

M. D. LXXIII.



ERRATA

LITTERARVM  
OVAS HENRICVS GALI  
LOKVM RENE DE XXN

Magnifici et Reuerendi Patris  
vniuersitatis

ET

BARVM OVAS TAVLO  
EX SENATUSCONSULTO  
IN GENERALI CONGRESSU

Hanc Auctoritate Anno 1774. Quibus  
diebus in Ordinatione R. P. P. P.

Constitutione Henrico  
Henrico



ANNO

M. D. LXXIII.

H  
G  
O  
S  
d  
s  
n  
n  
i  
i  
b  
b  
t  
r  
g  
d  
f  
r  
b  
e



HENRICVS DEI  
GRATIA GALLIARVM  
ET POLONIAE REX, MA  
gnus Dux Lithuaniae &c.

**I**LLVSTRISSIMI, MAGNI  
fici & Synceri, nobis dilecti, Nobi  
les & Generosi Equites, Etsi post eas  
quidem, quas nuper Ferraria literas  
ad vos dedimus, interea nihil acci  
dit eiusmodi, quod scire Vestra magnoperè inter  
sit: Tamen ut intelligatis, non modo non de pristina  
nostra erga vos benevolentia, quicquam immi  
nutum aut immutatum esse, Sed ad eam magnum  
indies tumultum accedere: Sic planè in animum  
induximus, nullam etiam sine argumento, scri  
bendi ad vos occasionem prætermittere: Idq̄ eò li  
bentius facturi sumus, quod, quam cupidè quan  
taq̄ cum obseruantia, quæ à nobis ad vos perfe  
runtur, excipiatis, nequaquam sumus nescij. Ac  
quidem, licet vos officij vestri erga nos admonen  
dos esse minimè putemus, Nec secus de vobis exis  
timemus, ac de bonis & præstantibus Viris, quo  
rum singularem fidem perspectam & cognitã ha  
bemus: Tamen cum ea sit horum temporum ratio  
& iniquitas, ut læuia quædam & fluxa putentur,  
A 2 quæ


quæ Sacrosancta inter homines esse debebant,  
Cumq̄, acerbius nobis nihil accidere possit, quàm si  
vel humano errore, aduersus pristinam Vestram  
laudem & gloriam peccetur, cogimur pro officio  
nostro & singulari erga vos beneuolentia animum  
nostrum sæpius contestari, & apertè, crebris lita-  
ris nostrum de rebus vestris iudicium aperire:  
Quod in summa huiusmodi est. Ne quid noui in  
his conuentibus, quos ad Calendas Septembris in-  
dictos esse accepimus, proponi tractari, aut decerni  
patiamini: Omniaq̄, ex autoritate nostra, ut  
æquum est, statuatis: Quo omnes Europæ Prin-  
cipes intelligant, Vos esse eos, qui & præsentè &  
absente Rege vestro, ipsius dignitatem & Maiesta-  
tem præcipuè tueri sciatis. Nam si aliter fiat,  
non modo in maxima pericula vos conijcietis,  
Sed etiam vix ullis unquam postea temporibus,  
tranquillitatis felicitatem, quam nacti estis, &  
cuius conseruandæ occasiones omnes semper am-  
plectemur, & quantum in nobis fuerit, urgebis-  
mus, recuperabitis: Simul atq̄, in Galliam vene-  
rimus, præstantem aliquem & egregium virum ad  
vos cum mandatis nostris ablegabimus: Vicis-  
sim quoq̄, audiemus libenter, quæ ad nos à legatis  
Vestris perferenda curabitis. Benè valete. Tau-  
rini, non longè à nostris Allobrogum finibus. 25.  
Augusti, Anno Domini 1574.

Henricus Rex.

SACRA CHRISTI  
ANISSIMA ET SERENIS-  
SIMA REGIA MAIESTAS,

Domine, Domine Cle-  
mentissime.

STUDIA & obseruantiam nostram S. M. Ue-  
stræ commendamus, à Deoq; maximo S. M.  
Uestræ precamur optimam Ualetudinem, & fe-  
licissimos rerum successus, ut S. M. Uestra diu sa-  
na & incolumis sit, longissimè ac felicissimè popu-  
lis à Deo suæ fidei & gubernationi concreditis,  
imperet, cum summa laude sua, & eorum, quibus  
præest, felicitate.

UA FVERIT UNIVERSI RE-  
gni Poloniae erga Maiestatem vestram propensio,  
cum Rex à nobis electus, & ex remotissimis orbis  
partibus in Poloniam excitus esses, nō opus est lon-  
gioribus Uerbis M. V. commemorare. Siquidem  
te in memoria habere existimamus, inter Claris-  
simos Principes & orbis Monarchas, te omnibus à nobis competi-  
torem prælatum, in Poloniam ex Gallijs accersitum, honorificè ex-  
ceptum, Sacro deinceps Diademate coronatum, & apud omnes ha-  
bitum, ut tibi libentissime Vitam, Salutem, Iura, Libertates &  
charissima quoq; in patria nostra pignora, concedere, & in pote-  
statem tuam tradere, non dubitauerimus. Et sperabamus quidem,  
nos imperij tui moderatione, post illud interregni tempus, luctuo-  
sum & quasi difficile, Sole post obscurissimas tenebras elucescente,

Regnum Poloniae splendorem suum recuperare posse, Fecissetque uti-  
nam DEVS Opt: Max: ut expectationi nostrae de te exitus  
respondisset, Nec ea felicitas, quam ex imperio tuo conceperamus,  
interfecta fuisset, tristi Repub: nostrae casu & perturbatione,  
Discessisti enim a nobis S. R. & patriae nostrae corpus integrum,  
tuo sane discessu, reliquisti vacuum, ita ut quasi parte, Capite, di-  
minuta patria nostra, sine Rege suo Vitam ducat aegram, & non  
mediocri dolore sese conficientem. Auget etiam dolorem nostrum,  
quod consilia discessus tui, & te ipsum, Vitam, Dignitatem, Ma-  
iestatemque tuam, his concredidisti, qui priuata apud nos obseruan-  
tia magis, quam vlla fide publica, se tibi esse obstrictos, agnoscere  
debuerunt. Nos tibi fidem nostram, nos obseruantiam, nos cultu-  
tum, nos in prosperis & aduersis constantiam, Sacramento dato,  
obstrinximus. Nobis propterea te, tuaque consilia, tuas res concre-  
dere debuisti. Nos enim pro tua dignitate, pro gloria, pro salute,  
pro acquirendo, non modo paterno regno quod a DEO naturaque  
datum, nullo modo amittere potuisti: Sed etiam pro alio quouis im-  
perio consequendo, fidem, studium, operam, Vitam denique nos-  
tram deuouissimus. Te tuamque fortunam comitando Leges anna-  
les nostros, fidem Poloni erga suos Reges deseruere nunquam. Po-  
lonorum nomen, contra Principes suos machinatione sinistra con-  
taminatum non est. Reuocandum est illud in animum tibi: Quam  
primum de obitu Christianissimi Regis Caroli Noni, fratris tui des-  
ideratissimi, fama in Polonia diuulgata fuit, tuaque fraterna viscera  
morte ipsius non mediocriter commota uidissemus, tute scis, non  
magis te, quam Senatum & uniuersam Poloniam, acerbissimo casu  
mortis illius, perturbatam extitisse, quasi Rex noster mortuus esset,  
ita mortem illius indoluit Polonia. Quid actum est? quod erat  
officij rem ad senatum, tibi assidentem, retulisti, Deliberatum est,  
Dictae sunt sententiae, Dies luctus publici per uniuersum Poloniae  
Regnum institutus & indictus est. Summa totius deliberationis  
erat, quid tibi faciendum, quomodo Galliae tumultuanti succurren-  
dum, qua ratione regnum, ad te successionem deuolutum retinendum.

Hæc

Hæc omnia, quæ erant grauiſſima nec ab vna parte R. P. ſed ab  
vniuerſis ordinibus ſtatui & finire poterant, in maiora Regni Co-  
mitia, te conſentiente & annuente, te applaudente reiecta ſunt. In  
hac Expectatione Comitiorum, quid actum ſit, proh dolor, com-  
memorare quid amplius opus eſt? Rege caremus in Polonia. At  
quomodo? Neq; hoc ſine dolore reticere poteſt. Ita à nobis diſceſ-  
ſiſti, vt vix impreſſam orbitam diſceſſus tui videre potuerimus.  
Sed orbitatem & dolorem noſtrum amplificare nolumus. **DEVS**  
**Max:** qui te à nobis auocauit, iudicet hoc factum tuum, ac bene-  
uertat etiam Galliæ, quæ nunc de ſtatu & felicitate ſua laborare  
cogitur. Cuius quidem ſaluti proſpectum eſſe volentes, quo nos pa-  
triæ amor, quo neceſſitas ipſa, quo periculorum metus, & conſilio-  
rum ratio vocabat, *Varſauiam* conuenimus omnes, vt orbitati pa-  
triæ, paci & ſecuritati publicæ conſuleremus. Et caput quidem *Deli-*  
*berationis* noſtræ hoc fuit vnum, vt Regem haberemus in Polonia,  
cuius auctoritate pax interna, & externa tranquillitas retineretur.  
Omnes te hic regem requirebamus. Sed quid intueri, quem alloqui,  
quo cum agere poſſemus, habuimus neminem. Quasi igitur ſine rege  
eſſemus, ita fuit omnium opinio & ſententia. Eſt certè verum, quod  
tibi ſcribimus. *S. R.* non deſuiſſe nobis animos, non occaſiones, non  
Commoditates, non etiam cauſas, vt patriam ſeruaremus, liberæ  
voces ad eligendum ſibi Regem alium conuertere, & ſpretæ patriæ  
ignominiam, periculaq; imminetia noua Regis Electione, detergere.  
Sed natura conſtantiq; noſtra vicit neceſſitatem eam, nec id quis-  
dem ſine periculo aſſequimur prius, donec à te, *S. R.* An ad nos re-  
dire, nobiſq; ſemper præſens imperare, Sceptraq; Poloniæ geſtare  
uelis, ſciamus. Voluntatem tibi deeſſe, quis eſt qui dubitat? Regia  
virtus & natura tua, non Septentrionis fortasſè modo, ſed regnum  
aliorum, Viam, Imperium, animo cogitat. Sed voluntatem iſtam,  
multis fortasſè cogitationibus occupatam, aut temporum neceſſitate  
& diſtractione, non vult Polonia, magno cum ſuo periculo experiri,  
te longum tempus expectando. Vis igitur Rex noſter eſſe, ve-  
nias

nias quam primum in Regnum hoc, cape sceptrum semel tibi data, ar-  
ripe gladium Regalem, quo nos defendas à vicinis hostibus, quorum  
arma personant in auribus, micant in oculis nostris, ex *Wallachia*,  
*Scythia*, *Moschouia*. Veniendum est autem mature, ne consilia &  
machinationes hostium longa tua Expectatione maturescant, ac  
nos, regnumq; istud pessudent. Rege diu carere non possumus,  
propter grauissima pericula, in quibus tanquam in lubrico versamur,  
quæ talia sunt etiam, ut à nobis nequeant, nisi Rege presentem  
te, tolli. Propter discessum enim tuum multis quoq; incommodis  
regnum afflictum est. Bona Regalia à militibus occupata, ob stipendia  
parte promissa & non soluta. Priuatorum in publica bonis  
inuasiones, direptiones, occupationes, non commemoramus. Licentiam,  
mutuas, cædes, audaciam quorundam perditorum quilibet faciendi.  
Hæc vindicari, Rege absente, lege silente, conuersis omnium  
ad externa pericula oculis, vix facile possunt. Ne igitur longa  
incertæ tui aduentus expectatione nos suspectos reddas, & cunctatione  
tua regnum maioribus periculis inuoluas, id tibi nunciamus, non  
egre feras, quod pro salute nostra constituimus, & tibi tempus  
in *Poloniam* redeundi assignauimus. Hoc autem est *S. R.* quatenus  
ad huc humeris nostris pendens periculi onus sustinere posse nos  
arbitramur. Diem 12. Mensis *Maij*, proximè Venturam, pro  
quo etiam tempore Comitia magna decreta & instituta esse scito,  
ad quod quidem tempus assignatum, ad ea quoq; Comitia, te *Uniuersa*  
*Polonia* expectat, ut venias in regnum hoc, in Comitia illa, quæ  
sunt instituta, ut *Deliberationes* cum *senatu* & *ordinibus* *Regni*  
iuxta morem & consuetudinem, legumq; præscriptum absoluas,  
& pericula imminencia unà nobiscum amoueas, tum etiam conditiones  
ab *Oratoribus* tuis in conuentu *Electionis* recepias, & iuramento  
firmatas, confirmes, expleas, & re ipsa præstes ac in posterum  
*Remp.* nostram præsens semper gubernes. Hoc enim ad officium  
tuum Regale, & Sponsionem factam fidemq; datam pertinere  
maximè intelligimus, & non dubitamus, te non magis curaturum  
esse,



esse, huc ut venias, quam ut præmissa exoluas. Si vero (quod à nobis utiq; longè abesse cuperemus) ad nos venire non potueris, aut tardaueris, cum summo nostro dolore tibi dictum nunciatumq; esse volumus omnes, non posse nos amplius (quod cum Gratia tibi dicere liceat) sine Rege, sine lege, viuere in Repub: nostra, Consuersis animis ad *DEVM* id faciemus, quod ad incolumitatem & salutem patriæ nostræ pertinere videbimus. Iamq; ab eo tempore, si non veneris, salua tua gratia, honoreq;, nostram obedientiam & fidem datam tibi renunciamus, & noui Regis Electionem nobis indicimus, ad quam rem illud ipsum tempus, quod tuo aduentui præstitum esse ante legisti, non expectatis etiam responsis & nuncijs vestris, assignauimus, Electionisq; conuentum indiximus, statuimus, promulgauimus, atq; id quidem ita certè, ita firmè, summa necessitate constricti, apud nos statuimus, ut multis excusationibus, multis modis, multis ad extremum rationibus, ab instituto nostro nos abduci non patiamur. Non debes autem existimare S. R. id nos erga te animo sinistro, aut consilio propero facere. Abest longè à nobis hæc cogitatio: Sed iudicare debes imprimis, Poloniam ita esse constitutam, ut barbaris hostibus ad eam solam pateat aditus, ipsaq; sola ad omnia Christiani orbis regna sit quasi porta, quæ nisi firmissimis claudatur præsijs, non ipsa modò sed multæ Christiani orbis prouinciæ de salute sua periclitabuntur. His igitur pro omnibus quasi excubias agimus, ut securè dormiant alij, nos insomnes oportet peragere noctes. Tale igitur Regnum, quomodo sine Duce, sine capite esse posse existimas? Nosti potentiam Moschor uiticam, & non est incognita Scythica ferocitas, quæ cum Turcica potentia mixta, his diebus vicinam nobis *Walachiam* solo æquauit. Est Regnum hoc cinctum & circumuallatum hostibus, Christiano & Catholico nomini infensis, nostro verò infensissimis, quod veteres ex se ductos Triumphos tunc maximè vindicare cupiant, cum Remp: hanc capite & Rege suo videant orbatam, & tanti casus nouitate tumultuantem. Occasionem igitur oppugnandi nos &

B

Remp:

*Remp: nostram habent illi per commodam. At fortasse dices: Viri res nobis esse tantas, modo velimus, posse nos etiam defendere patriam nostram, eamque tibi seruare saluam & incolumem aduersus hostium insultus. Est ita quidem S. R. pro patria nos, etiam multis extraneorum adductis auxilijs, fortiter pugnauisse, præclareque triumphasse, paratos etiam esse pro ijs tuendis & conseruandis vitam amittere & sanguinem nostrum effundere. Sed istius optimæ voluntatis impedimenta tuo discessu tanta sunt effecta, quanta vix ullo unquam tempore in Polonia fuerunt. Inimicitias cum Barbaris gentium non vnas, sed multas ac graues, pro gloria & libertate Christiana, habemus. Amicitias quoque cum Christianis vicinis Principibus multis per te fæderum & pactorum vinculis colligatas, ita retinemus, vt dubia potius, quam certa sit eorum possessio existimanda. Quid horum quisque moliatur, quò aspiret, quid neccitat, nos videmus, Tu vero considerare potes. Quomodo sine capite, sine Rege, resistemus, quomodo vires coniunctas contra diuersos hostes habebimus, maximè cum Regni huius pax cum vicinis nulla per te pactorum reformatione consistat? Bellum enim in Polonia publice etiam edictum & decretum sine Rege, tanquam summo belli Duce, ex præscripto longum fieri non consuevit, nec potest. Eritne Polonia sine Rege, tanquam summo belli duce salua? Minime gentium. S. R. Regem habeamus oportet, aut te, aut alium, quem nobis DEVS & fata iam dudum prospexerunt, Et si Rex noster præsens esse semper nolis, alium qui nobis imperet eligamus oportet, te ægrè minimè ferente, Imò collaudante studia nostræ seruandæ patriæ cupiditate tanta reincipsa. Neque dubitamus S. R. si ita Deo & tibi videatur, vt Rex noster amplius futurus non sis, quin nos & regnum hoc in tua gratia & beneuolentia perpetuo retineas, & imprimis gratum & memorem nostri erga te studij & obseruantia præstes. Quod tibi etiam, & cum eo Rege, quem nobis DEVS prospexerit, omni studio, opera, diligentia comprobare studebimus, vt intelligas nostra erga te, apud nos etiam non regnantem, non destitisse*

desstitisse studium, beneuolentiam & obseruantiam, quamdiu duratura essent hæc omnia, quam diu in animis nostris residebit tuæ erga nos beneuolentiæ memoria. Quod superest, commendamus nos in gratiam Dei Opt: Max: & precamur, ut S. R. M. Vestram diuissimè seruet sanam & incolumem ad perpetuam Christiani nominis gloriam & salutem conseruandam.

Datum Varsauiæ 20. Septemb.

Anno 1574.



Sacrae Christianiss: & S. M. vestrae  
seruitores addictissimi.

Senatus & Equestris Ordinis R. P. & M. D.  
Littuaniae ex congregatione status  
12. Ord: R. P. generali.



047/1/6440

X 220 6343


220 6343

220 6343



nc





B.K. 379, 8.

II m  
6440

EXEMPLAR  
L I T E R A R V M,  
Q V A S H E N R I C V S G A L  
L O R V M R E X, D I E X X V.  
*Augusti ad Senatum Polono-  
rum scripsit.*

E T  
E A R V M Q V A S P A V L O  
P O S T E X S E N A T V S C O N S V L T O  
I N G E N E R A L I C O N G R E G A  
*tione Mens. Sept. Anno 1574. Varso-  
via facto, Ordines omnes Reip. Po-  
lonorum ipsi Henrico  
Regi miserunt.*



A N N O  
M. D. LXXIII.

